
# PUELLAE MONSTROSAE DELINEATIO

Lugduni Batavorum
1793


via veritas vita

# PUELLAE MONSTROSAE

# DELINEATIO.

# PUELLAE MONSTROSAE DELINEATIO,

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

NICOLAI PARADYS,

*MED. DOCT. MEDICINAE, NEC NON COLLEGII PRACTICO-MEDICI PROFESSORIS ORDINARII, SERENISS. PRINCIPIS ARAUS. ET NASSAV., FOEDERATI BELGII GUBERNATORIS HEREDITARII, ARCHIATRI;*

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,


SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS, IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT,

MICHAEL JOHAN VAN CAMPEN,

TRAJECTINUS.

*Ad diem* IX. *Octobris* MDCCXCIII. *H. L. Q. S.*



*LUGDUNI BATAVORUM,*
APUD JACOBUM DOUZY. 1793.
MDCCXCIII.

VIRO

*PLURIMUM VENERANDO*

JACOBO VAN CAMPEN,

MYSTERIORUM DIVINORUM IN ECCLESIA RHENENSI INTERPRETI FIDELISSIMO, PATRI OPTIMO CARISSIMO, OMNI FILIALI AMORE ATQUE OBSEQUIO, AD ULTIMUM VITAE HALITUM, PROSEQUENDO.

NEC NON


*VIRO PRUDENTISSIMO*

SIMONI JONGEWAARD, JUNIORI.

PROXENETAE ET NOTARIO VIGILANTISSIMO, PATRUO PER AFFINITATEM EXOPTATISSIMO, OMNI REVERENTIA COLENDO.

*Hoc Opusculum ut &*
*ſemet ipſum grato*
*animo offert.*

M. J. VAN CAMPEN.



# PUELLAE MONSTROSAE DELINEATIO.



Miſerrima omnino illorum infantum conditio eſt, qui, ſanis licet parentibus nati, in lucem emittuntur deformes, hac illave parte carentes, vel alio modo morboſi, monſtroſi; infelices quam maxime illi dicendi, qui iis partibus omnibus, quae ad ſuſtinendam vitam & ſanitatem conſervandam requiruntur, gaudent, ſed iis deſtituti ſunt, quae ſummae neceſſitatis

dici debent, ut ſocietatis utilia membra non ſolum fiant, ſed & ipſi ſibi comparent ea, quibus ſubſiſtant. Inter hos profecto numerandi ſunt, qui brachiis manibusque carent, aut quibus membra haec ad uſum inepta ſunt, multo magis, quibus artus inferiores etiam deficiunt. Prioribus poſteriores multo infeliciores cenſendi; hi enim pedibus tali uti modo diſcunt, ut vix manuum uſu carere videantur. Exempla talia multi viderunt & deſcripſerunt, vix autem notabilius extare poſſe, quam illud eſt, quod Cl. BAZZANI deſcripſit in *hiſtoria monſtri humani Bononiae nati*, *addita* CAJETTANI TACCONI *diſſertationibus* Bononiae editis Anno 1751.

Huic & oſſium compages ſatis firma, & conformatio capitis apta, & facies non indecora, erat, ſed artus deformes. Superius quippe a brachiis manibusque omnino deſerebatur, cum laevi penitus expers brachii, fruſtum tantummodo

modo retineret dextri ſuprema in parte dependens ab humero. Inferius vero binis quidem inſiſtebat pedibus, naturalem formam retinentibus, at dextro paullulum ad poſteriora reducto male utebatur, propter vitium inflexi cruris, & genu, unde nonnihil in inceſſu claudicare cogebatur. Manuum enim inops officia vitae ſic peragebat, ut minime egere manibus videretur; dum, in ſumma actionum egeſtate, inopiam ſuperiorum, operoſis inſeriorum artibus, reparavit; mirabuntur etiam Lectores, ſi enarrantem BAZZANI ſequantur.

„ Menſae, ut prandium ſumat, adſidens porrectos primum, tunicatos usque ad talum, pedes digitis probe articulatis, & paulo longioribus, ut manuum digitos aemularentur, inſtructos, perurbane admovebat menſae. Mantili deinde cum per ſe optime poſſet, aliena induebatur manu. Jam vero prandium inchoa-

 bat.

bat. Diſſecti panis taleolas digito pollice, & pollici proximo, pedis laevi capiebat & continebat. Dextri vero pedis digitis inſtrumenta menſae, cochleare nempe & furcinulam, ita accommodabat, ut digitus pollex & minimus, reliquis ſubductis & reclinatis, eorum manubria comprehenderent; Capita vero, ſcilicet cochlearis concha & furcinulae tridens, libere in dapem & lancem ſpectarint. Sic praeparati pedes panem & obſonia alternatim arripiebant, dividebant, transfigebant, depreſſoque capite, ut humile ſit, in gerebat in os."

„ Eodem modo ſe recreabat potu. Vitreum ſcyphum, gracilioris longiorisque fulcri, & baſis rotundae, ſibi dari poſtulabat; tum fulcrum utroque digito pedis dextri, pollice & juxta eum primo, conprehenſum ſtringebat, cyathumque vini plenum recta ſurſum, nihil mutante pede, paulatim elevans admovebat

oc-

occurrenti ori, totumque ne guttula quidem effuſa exhauriebat."

„ Scriptio ipſius erat clara, compta, juſtis intervallis, litteras a litteris, a verbis verba, dirimentibus, interciſa. Papyraceum folium inter digitos priores utriuslibet pedis recipiebat, explicabat, & tabulae appoſitae ſuperſternebat. Calamum ſcriptorium, quem ſibi parare noſcet, mucrone in crenam inciſo, pede altero a dextris ſimiliter receptum, atramento imbuebat. Inde per papyrum, pede laevo firmiter detentam, innumeris iis modis, qui figurandis litterarum orbibus, caudis, cruribus, radiis, ſinubus, opus ſunt, ducebat, verſabat, reducebat, flectebat, digitorum appulſibus actionis modum viciſſim temperantibus; peracta ſcriptione folium complicabat, claudebat, ſignabat."

„ Acus, digitalia, forfices, fila tractari a manibus exquiſitius non poterant, quam illa

pedibus tractabat: acum inprimis arripiebat pes laevus, pollicem inter eique proximum digitum recta tenens. Pari ratione a dextro pede fila continebantur. Quae ex glomere evoluta & recisa pes idem acui obvertens, trajiciebat per foramen acus, diducebat. Mox permutatis vicibus sinister pes dextro acum tradebat cum filo. Post lineae telae vel panniculi mensuram, ad suendum constitutam, e vestigio prehendebat, cujus oras, si oportuerit, pes dexter prius demarginabat forfice, Inde una cum sinistro intorquebat. Intortas, acu filum ducente, transfigebat saepius, & sutura connectebat. Digitali denique consutas oras laevigabat medii digiti apicem tegente. Et, si quae exuberaret villosa lanugo, aut fibra, prehensis forficibus illas detrahebat."

„ Sciebat praeterea pedibus uti, si quid ad usum vellet rei familiaris, indusia concinnare,

vestes sarcire, purgare, in loculamentis condere, succendere ignem; ollam apponere aquae plenam; cibaria nonnulla parare esui, & varias alias res domesticas peragere."

Hoc exemplo constat, quid pedes valeant, si manus desunt; longe ergo infeliciores dicendos illos miseros esse, qui non brachiis tantum & manibus, sed etiam pedibus destituuntur, concedent omnes. Hi enim vix sese de loco in locum movere possunt, eidem ferme semper se adfixos tenere coguntur, neque in suos neque in aliorum usus aliquid praestare, & tota ipsorum vita ab aliis quasi dependet.

Patuit hoc elapso anno, quando hac in urbe, in aliis etiam patriae nostrae, aliarumque regionum, locis videndum sese praebuit homo, *Benoit Formaggini* dictus, capite truncoque sanus, artubus autem destitutus, Padoae 27 Aug. 1764 natus: hujus, artubus superioribus

pe-

penitus carentis, truncus in duo inaequalia tubera, natium vices gerentia, desinebat, ex quorum sinistro unicus dextro duo prodibant digiti, suis articulis unguibusque instructi. Licet hic, ore calamum dirigente, bene scribere, filum, ore etiam, per aperturam acus transmittere, similiaque praestare, &, sorte sua contentus, legendo tempus terere, didicerat, tamen merito infelicissimus dici debebat; etsi enim certo & admodum limitato modo pelvim quodammodo attollere, &, si fundus, cui imponebatur, aequabilissimus erat, sedem parumper mutare, pro lubitu etiam digitos dictos movere poterat, tamen vix notandus hicce motus erat, & eodem semper in loco manere cogebatur, nisi alter ipsum in alium transportaret.

Casum hunc dignissimum judicavit Clar. SANDIFORT, Praeceptor aestumatissimus, quem Auditoribus ostenderet, atque explicaret: quumque

que hac occaſione de monſtris in genere diſſerebat, ipſis exhibuit inſignem non tantum collectionem monſtrorum, quae adſervantur in Theatro Anatomico, aut quorum figurae ipſi ad manus erant; ſed ſimul enarravit caſus, ad praeſentem referendos, quos vel obſervaverat ipſe, vel diverſi auctores deſcripſerant. Inter priores vero quam maxime animadvertendam effigiem demonſtravit puellae, ante aliquot annos hac in urbe ab ipſo viſae, & in nonnullis cum dicto viro convenientis. Haec mihi adeo curioſa videbatur, ut, dum mihi, juveni, Gradum Doctoralem acquirere ſludenti, & nulla propria experientia edocto, nonniſi ea, quae ab Honoratiſſimis Praeceptoribus accepi, aut ex fide digniſſimis auctoribus collegi, nihil vero novi, proferre liceat, a Clar. Viro petiverim, atque impetraverim, ut hac occaſione, defen-

dendis thesibus, ejus delineationem cum brevissima descriptione praefigerem.

Erat illa circiter undecim annos nata, facie pulcra, trunco bene constructo gaudebat, pedibus autem, brachioque dextro carebat; deformis erat manus sinistra, brachium enim hujus lateris cubitusque bene conformati erant, manus vero non quinque sed quatuor digitis gaudebat; dextrum brachium deerat, saltem nonnisi portio quaedam humeri supererat, paulo longior quam in casu, quem descripsit BAZZANI.

Trunci pars inferior innitebatur quasi duobus pulvinaribus, quae, in exteriore & parum anteriore latere, pro parte quasi constricta, appendicem monstrabant, a dextro latere pro voluntate mobilem, talem ferme, quales sarcinis, lana repletis, adhaerere solent.

Ma-

Majores illae prominentiae, & retrorſum & antrorſum admodum turgidae, ab anteriore ſic ſibi erant appreſſae, ut vix genitalia conſpici potuerint, niſi puella incumberet dorſo, & dicta tubera ab invicem manu removerentur. Nulla aderant labia vulvae, ſed plicae hae cutaneae in dictas prominentias quaſi confundebantur, & clitoris prominula, & ab ea procedentes nymphae conſpiciebantur, ſed haec, ut & forma externa ex tabulis abunde cognoſcenda ſunt, absque ut ampliori indigeant expoſitione; prima figura etenim generalem conformationem exhibet totius puellae, altera genitalium partiumque vicinarum formam.

Poterat haec puella ſedem ſuam deſerere, alium que locum occupare; palmam etenim manus terrae imponens, & eâ toto corpore innixa, partes corporis inferiores attollere poterat, &, par-

tem circuli deſcribendo, facilius & citius de loco in locum ſe recipiebat.

Auctores ſi addere vellem, qui homines monſtroſis artubus vel ſuperioribus vel inferioribus deturpatos deſcripſerunt, aut illorum defectus memoraverunt, catalogum ſatis notabilem exhibere valerem, hunc autem laborem plane inutilem judicô, quum HALLERUS in opuſculis de monſtris, operum minorum Tom. 3. pag. 30 & ſeq. innumera ferme exempla collegit.

Addere tantummodo liceat, anno 1764. Goudae natum fuiſſe infantem, & per quatuor ſeptimanas vixiſſe, qui ſuperioribus inferioribusque artubus plane carebat, & vix a conformatione, in *Formaggini* obſervata, differebat, niſi, quod truncus ſenſim contractus non deſinebat in duo talia tubera, verum

in

in apicem obtuſum terminabatur. Adſervatur hoc monſtrum dicta in urbe, & a curioſis examinari omnino meretur, ut mihi hiſce diebus conſtitit.

## TANTUM.



# THESES.

I.

*Anatomiae ſubtilioris cognitio Medico, & Chirurgo, ſummopere neceſſaria eſt.*

II.

*Falſa eſt doctrina eorum, qui ſtatuunt, omnes tunicas oculorum ab involucris nervi optici oriri.*

III.

*Nimiam vim in digeſtione ciborum ſucco gaſtrico plures adſcribere, puto.*

IV.

*Muſculi intercoſtales, tam externi, quam interni, eandem actionem praeſtant.*

V.

*Foetum ultimo graviditatis tempore inverti, ſeque ita ad excluſionem parare, negamus, naturaliter vero capite deorſum pendet.*

VI.

VI.

*Emetica minori, quam qua vomitum cient, dosi exhibita optime agunt ſcopo reſolvendi.*

VII.

*Venae Sectio prodeſt quam maxime in morbis inflammatoriis, ſed ſi ſero inſtituitur, aut aegro jam valde debili, nocet.*

VIII.

*V. S. interdum cardiaci vice fungi ſtatuo.*

IX.

*Cura hydropicorum maxima parte in ſolidorum tonum reſtituendo conſiſtit.*

X.

*Emetica in pleuritide non raro conveniunt.*

XI.

*Funi umbilicali duas ligaturas injicere, ſuperfluum videtur.*

XII.

XII.

*Placentae post partum expulsio solis naturae conatibus non semper est relinquenda.*

XIII.

*In gravi incuneatione, ubi vita matris aut foetus periclitatur, prioris ratio praecipue habenda est.*

XIV.

*Si necessitas urgeat, sectio Caesarea videtur anteponenda sectioni synchondroseos ossium pubis.*

XV.

*Nullum specificum remedium hactenus adversus cancrum videtur esse cognitum.*


---

I.



*A. Delfos delineavit.* *P. de Mare sculpsit.*

II.



*A. Delfos delineavit.* *P. de Mare sculpsit.*

AAN MIJNEN

*WAARDEN VRIEND*

# MICHAEL JOHAN VAN CAMPEN,

BIJ ZIJNE BEVOORDERING TOT DOCTOR IN DE MEDICIJNEN.

Zoude ik mijne lier niet ſpannen
bij den aanblik van Auroor!
Daar deez' dag mijn Vriend VAN CAMPEN
treed in Febus tempelchoor!

Ja! ... zou ik niet vrolijk juichen —
op deez' heuchelijken ſtond!
Daar de band der ed'le vriendſchap —
ons op 't naauwst te zaamen bond.

Dan — dan zou 'k ondankbaar ſchijnen:
want de Vriendſchap 't mij gebied;
Vriendſchap — die reeds veele jaaren —
deelde in vreugd en in verdriet.

Neem

Neem dan mijne zwakke toonen
aan — ten blijk van dankbaarheid:
Laaten zij U welgevallen —
en aan U zijn toegewijd.

Hebt Gij de edelste uwer dagen —
uwen prillen lentetijd —
Steeds met onbezweeken krachten
de ed'le wetenſchap gewijd!

Nu moogt Gij met dankbre galmen
heffen een triumphlied aan —
Daar Gij — na veel zwoegen — zorgen —
't moeilijk taak hebt afgedaan.

Vrolijk — vrolijk kunt Gij juichen —
daar Gij thans den kroon ontvangt —
Die voor Febus lievelingen —
aan het eind der loopbaan hangt —

En — hier voel 'k mijn boezem gloeijen —
daar ik U aan 't eind begroet!
En Ge een krans van eerlauwrieren —
om Uw' ſchedel hechten doet.

Roit

Rolt nu vrolijk — mijne Zangen!
Dichtkunst!.. koom — koom nader vrij!
Laat uw invloed mij bestraalen!
zet mijn' Zangster krachten bij!

Is — mijn Vriend!... Uw' loop gestreeden!
zijt Ge aan 't einde van Uw' baan!
Moogt Gy nu de lauwren plukken —
lauweren — die nooit vergaan!

Gun mij U geluk te wenschen —
daar ik deele in Uw' vreugd —
En mijn hart met waare achting —
zich steeds in Uw heil verheugt.

Gaat Ge een nieuwe baan aanvaarden —
Vriend VAN CAMPEN — mij zo waard!
Treed Gij 't groot toneel thans binnen,
van eene altijd woelende aard!

*Mooglijk* zult Ge op roozen wand'len!
*mooglijk* lacht U blijdschap aan!
*Mooglijk* zal de Zon van voorspoed —
voor U nooit ter kimmen gaan!

Maar,

Maar — *welligt* treed Gij op doornen!
en — hier bloed mijn vrienden-hart!
*Welligt* ſtaat Gij hier beneeden —
vaak ten doel van ramp en ſmart!

Dan — wat U ook mooge ontmoeten!
welk een droevig — treurig lot —
U op 't waereldrond ooit treffe!
denk altijd — er leeft een God!

Ja! een God — die all' de nooden —
van het gantſche menschdom ziet —
Die — in rampen — op ons ſmeeken —
onverdient zijn' redding bied.

Hou dan 't oog op Hem geſlagen!
zo zal Hij Uw Leidsman zijn!
En U veilig heenen voeren —
door des waerelds rampwoeſtijn.

Leev zo — in 't genot van zeegen!
leev in voorſpoed!... ſmaak geluk!
Dat Uw heilzon nimmer taane!
leev — bevrijd van ramp en druk!

Ja!...

Ja!... eens ziet Ge Uw luk vergrooten!
als Ge in 't renperk van de min —
Vrolijk hart en hand zult geeven —
aan een' dierbre Zielvriendin.

En — zal haast het tijdſtip daagen —
dat Gij Leydens vest verlaat!
Onze vriendſchap blijv beſtendig —
tot ons laatſte leefuur ſlaat!

En — zal dan de dood ons ſchijden!...
hier ontvalt de pen mijn' hand!...
*Eenmaal* vinden wij elkander —
in een ed'ler Vaderland.

JOHANNES ELIAS GOETZEE,
J. U. DOCTOR.



